DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

PHYSIOLOGIAM
ET
SEMIOTICEN HEPATIS
SPECTANS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. SEPTEMBRIS MDCCCXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

D. DIT. GUIL. EVERSMANN
MARCANO-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS
Henr. Hoffbauer Med. DD.
Ph. Voss Med. DD.
Joann Hueser Med. DD.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARKII.

PATRI SUO

CARISSIMO AD CINERES USQUE
COLENDO

EVERSMANN

NEC NON

C. H. LOEBBECKE

PLURIUM PRAEDIORUM POSSESSORI AVUNCULO SUO
SUMME REVERENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Cum omnia, quae hepatis physiologiam et semioticen spectant, medico maximi momenti sint, hanc materiam prae aliis dignam existimavi, qui de ea dissertationem inauguralem conscribam.

NATURA HEPATIS.

Caput I.

Prima hepatis vestigia eorumque progressus in animalibus.

Prima rudimenta hepatis formandi in alatis insectis inveniuntur, quorum intestinum vasis hepaticis oblongis circumvolutum est, quae in crustaceis magis contrahuntur et in molluscis jam hepar constituunt; hanc formationis legem et in aliis secretioni dedicatis organis animadvertimus: sic pulmones nihil aliud representant nisi cutis involutionem; in gastropodibus glandularum acini per os dispersi constituunt glandulas salivales, et pancreas rajis et squalis originem petit plurimis ex intestinulis coecis; tali modo ex sparsis vasis constructum hepar in molluscis sextam vel septimam totius corporis ponderis partem aequat; in acephalis ventriculum circumdat, in gastropodibus vero inferius situm est, cum in superiore intes-

tini parte glandulae salivales oriantur, quocirca hepar non totum sed partem modo ventriculi circumcingit, bilem tamen maxime in ventriculum effundit; in cephalopodibus hepar in duas partes divisum est, bilis autem in ventriculum, tertium jam duodenum significantem, transfluit. —

Observatio clarissimi Professoris Cari valde mira docuit: hepar in Ascidiis (A. papillosa?) post perfectam corporis evolutionem demum formari; canales visibiles excretorios non invenit, judicat autem: sulcos altos ventricnli fundum obsidentes aliquomodo eorum vice fungi, ita quidem ut succus biliosus directe forsan in ventriculum profundatur.

In piscibus systema hepaticum magnum in lien et hepar discedit, atque maxima ex parte per venam munere fungitur, quod in molluscis per arteriam fit; in piscibus etiam fabrica vasornm hepaticorum insectorum altiore gradu reiteratur, quippe enim hepar secedit in plures intestino interpositos et per longum spatium saepe progredientes lobos, qui autem paulatim evanescunt et in formam rotundam contrahuntur in amphibiis, quorum hepar in genere minoris molis est piscium hepate, et illud in aëre viventium e. g. lacertae agilis, draconis viridis iterum minoris molis quam in paludibus viventium.

Avibus hepar magnum, lien autem eo minus est; accipitres minimum, grallae (*Sumpfvögel*) et anseres (*Schwimmvögel*) maximum hepar habent.

Mammalia in universum minore hepate animalibus modo nominatis gaudent, minimo vero in aëre puro viventia; qui autem in aquam merguntur, eorum hepar illud amphibiorum et piscium fere mole aequat; qui durante hyeme, in speluncis dormiunt et quibus respiratio minuta vel plane intercepta est, iis hepar mole valde augetur.

Caput II.

Ratio chemica bilis.

Princeps fellis pars est materies quaedam, perperam resinosa dicta, cui color est et sapor amarus et indoles oleosa; tam in aqua quam in alcohole solvitur, non vero in aethere; acidis mineralibus, acido sulfurico, muriatico et nitrico praecipitatur, quod praecipitatum viridis coloris nihil est: nisi illa bilis materies cum acido adhibito conjuncta, ratione quadam, haud satis cognita, resinae similis facta; eodem modo fundum petit si metallis oxydatis cum acidis nuptis tractatur, quo facto triplicem conjunctionem, nempe materiei

illius felleae, unius acidi partis et metalli oxydati exhibet; non modo acida sed oxygenium, quin etiam chymus similem effectum in bilem ostendunt; acido aceti vero non nisi maximo in gradu concentrato, materies bilis secedit, quod valde mirum.

Tali modo acidis tractatae materiei felleae tamen semper aliqua pars soluta remanet, quae a Thenardio peculiarem substantiam judicata et picromel nominata est.

Materia fellea obtinetur, si praecipitatum acido sulfurico factum, agitatur cum baryta carbonica, cujus salis baryta cum acido sulfurico sese conjungit, aqua vero coloris viridis atque saporis amari postquam filtrata et evaporata est, illam felleam materiam in aqua solubilem praebet.

Alio modo paratur: si multum alcoholis bili adfunditur, quo fit ut albumen sincerum fundum petat, materies fellea vero solvatur, qua solutione evaporata, materies fellea remanet, quae revera albumen modo minus oxydatum refert, cujus partes constitutivae sunt hydrogenium, carbonium et minimum azoti; ab illo autem sanguinis albumine sequentibus differt:

a. saporis amari et subdulcis atque coloris viridis est.

b. in aqua solutum alcohole non praecipitatur.

c. cum acidis mineralibus conjunctionem init et fundum petit.

Praeter hanc materiam felleam in bile adhuc inveniuntur vulgare albumen, natrum liberum, salia phosphorica, muriatica et sulfurica, mucus, maxima *ex parte* vero aqua. Acido muriatico oxydato bilis lactea redditur et permultum praecipitatur, simul partes cereae calculis felleis simillimae nascuntur.

Fellis amaritudo ex carbonio plus minusve oxydato pendere videtur, quod oxydatione in aqua solubile fit et hydrogenium attrahendi vim accipit; carbo vegetabilis solubilis, nec non olea rancida, pari modo amari saporis sunt; extracta oxydata, dum hydrogenium attrahunt, in certo quodam saturationis gradu iterum dulcescunt, extractum fellis in alcohole calefacto solutum, Bochantus dulce sensit, quin etiam extracta vegetabilia inflammabilia sapore dulcamaro gaudere solent.

Quae bilis amaritudo primum in foetu plane deficiens, augetur cum foetus evolutione, quod mihi ex praepotentia increscente totius systematis arteriosi, praesersim autem arteriae hepaticae, cujus ramuli cum illis venae portarum arctissime cohaerent et in eos exeunt, pendere videtur; phthisi pulmonali afflictis, quibus non raro hepar

in massam adiposam mutatur, fel nullius amaritudinis esse contendit Thenard, quae tamen observatio a Meckelio in dubium vocatur.

Caput III.

Relatio hepatis ad pulmones.

Secundum analyses chemicas extra omnem dubitationis aleam positum est, hydrogenium et carbonium in hepatis secreto praevalere, unde elucet: hepar pulmonibus, quod munus adtinet, adjunctum esse vel, quod rectius dictum, pulmones hepati; pulmones enim carbonium excernunt oxygenio plane saturatum, hepar autem minus oxydatum atque cum aqua mixtum, quam quidem relationem inter pulmones et hepar in tota animalium serie, persequi licet, et jam ex supra dictis prolucet: omnibus animalibus in aqua vel sub terra viventibus, hepar majus esse quam iis, quae in aëre atmosphaerico vitam degunt.

In molluscis hepar pulmonum vices agit durante hyeme, quo tempore, tam in aqua quam super terram habitantes, statum quasi soporosum subeunt; apertura testae helicis pomatiae aliorumque terram incolentium, aperculo calcario clausa, hepar sanguini partes detrahit combustibiles, quo

fit ut oxygenii ad vitam necessaria copia conservetur. Nerita vivipara, Buccinum stagnale aliaque mollusca animalia, pulmonibus spiritum ducentia et aquam incolentia, hyeme instante paludum fundum petunt, ibique prae frigore soporosa permanent, donec calore verno ad novam vitam expergiscuntur. Animalium horum dormentium tractus intestinorum, etsi ciborum inanis, valde tamen bile repletus invenitur, inde etiam observatio Polii, qui moluscos sub antlia pneumatica et in aëre irrespirabili vix necare potuit, hepate locum pulmonnm supplente.

Non modo in molluscis, verum etiam in nostratibus amphibiis, hyemem somno consumentibus, hepar pulmonum vices explet; eorum ven: triculus omnino vacuus est, intestinum contra permultum bilis continet et vesica fellea bile turget.

Ranis, evolutione nondum peracta, in aqua adhuc viventibus, hepar multo majus est, quam ranis adultis; sic etiam in mammalium et hominum foetu hepar eo majus est, quo tenerior foetus.

Quibus hominibns et mammalibus pulmones morbo affecti sunt, vel qui in aëre oxygenio egente vitam degunt, iis hepar mole augetur.

In aëre calido minor acidi carbonici quantitas

ex sanguine per pulmones emittitur, quam in aëre frigido, qua re si aër paludosus, gasis hydrogenici carbonisati tam dives, supervenit, hydro-carbonium in corpore accumulatur, quod bilis nimiam secretionem efficit; indè cuique patebit, cur interris calidis febres fere semper cum morbosa quadam hepatis affectione conjunctae sint; nec absurdum mihi esse videtur, pulmonum inertiam plurimum conferre ad morbos hepaticos iis producendos, qui vitam sedentariam degunt.

Caput IV.

Functio hepatis.

Ex iis, quae jam praecepimus, hoc potissimum efficitur: finem aut quod melius dictum, functionem hepatis non aliam esse, nisi materiae comburendo aptae ex sanguine depositionem. Quemadmodum omne ratiocinium de naturae finibus vanum est, sic etiam ea quae de hepatis fine prolata sunt. Bilem chylificationi inservire dicitur, quod autem, si fellis usus esset, curnam in foetu et animalibus per hyenem dormentibus fel secernitur, cum in utroque nihil chylificandi adsit.

In variis mocluscis minima tantum bilis pars in ventriculum aut intestinum, longe maxima vero per meatus proprios vel in intestinum coecum, ut in Aplysia, vel prope ab ano, ut in Doryde et Thetyde effunditur.

Alia adhuc recens opinio de bilis viribus est illa E. Homii, qui dicit: bilem in centenis Fahrenheitii caloris gradibus substantiam qualemcunque animalem in pinguedinem mutare, quae mutatio tunc temporis fiat, cum putredo incipiat, haud vero fiat, si putredo cito progrediatur, aut si peculiaris stercoris foetor uno eodemque tempore cum pinguedinis formatione evolvatur. Quae quidem conditiones, cum omnes intestino crasso insint, et revera nonnunquam pinguedinis aliqua massa ibidem inveniatur, E. Homius inde credidit: omnem pinguedinem hoc in loco formari, quod vero quam faltum sit, facile elucet; statu sano enim illa pinguis materia in intestino nunquam reperitur, unde jam efficitur: eodem jure quemcunque locum, quo pinguedo acervata conspicitur e. g. lipoma, pro sola pinguedinis officina haberi posse; experientia etiam saepissime docuit, homines in quibus bilis secretio impedita est, nimia obesitate corripi, quod secundum Homii sententiam, ob transitum bilis in intestinum imminutum, fieri haud potuisset; quonammodo in foetu pinguedo nascitur, cum in

prioribus mensibus hepar bilem omnino non secernat; postea vero inter bilis et pinguedinis quantitatem meximum sit discrimen? Homius ipse exemplum narrat infantis alicujus, justo tempore et consueta magnitudine nati, cui vesica fellea et ductus hepaticus intestinum petens, plane deerat, qui tamen aliquot tempus vixit, emacruit et paulo post mortuus est. Haec vero accumulatio massae pinguis in intestino, semper status morbosus, memoratu dignus est; in physetere macrocephalo aegrotante, quatuordecim saepe usque ad centum librae ambrae (nunquam vero altius septem pedibus ab ano) inveniuntur, cujus centenae partes sexagenas pinguedinis continent.

In experimentis, ad cognoscendam avium excrementorum formationem, institutis, magna copia substantiae oleosae in intestino deprehensa est.

In humani corporis intestino etiam nonnunquam talem materiam pinguem, Scybala nominatam, occurrere van Swieten (Commentaria in Boerhave aphorismos tom II. pars I. p. 375) verbis sequentibus, ex Tulpio receptis, monuit:

„Apud Tulpium (observat. med. lib. VII. cap. 18 p. 208) habetur, quod gracilis ac tenera mulier, afflicta frequentius sive a febre tertiana sive ab obstructo liene, excreverit tandem quotidie per quatuordecim et amplius menses, pluri-

mum flavescentis adipis stercori incumbentis, instar butyri liquefacti: atque tali quidem copia ut aliquot vascula replere potuisset. Verum autem pinguedinem esse patebat ex eo, quod carbonibus injecta flammam satis lucidam ederet, et frigefacta concresceret instar durioris adipis.

Prodibat autem semper absque torminibus per alvum hoc pingue, abspue febre colliquativa, quam plerique medicorum suspicabantur et absque emaciatione corporis: quin imo mansit haec mulier prospera, ac illibata valetudine etiam post sextum decimum ab hac excretione annum. Similis alter casus apud eundem auctorem habetur (ibidem cap. 19. p. 210.)".

Caput V.

Quaenam vasa bilis secretioni dedicata sint!

Functione hepatis jam exposita, operae etiam pretium erit, perscrutari, quaenam per vasa secretio bilis fiat, utrum per venam portarum, an per arteriam hepaticam; finibus hujus libelli autem valde coarctatis, sufficiat, paucis verbis mentionem facere ejus, quod hac in re maximi est momenti.

Argu-

Argumenta per venam portarum fieri secretionem.

a. Post ligatam venam portarum, secretio bilis penitus impedita visa est (Sprengel instit. med. tom. I. p. 355.) Quid mirum in tanto sanguinis circuitus impedimento! an vero subito secretio sistatur? hoc est quaerendum; si non: hoc experimento non probatur, secretionem venosam esse.

b. Arteriae hepaticae ligationem bilis secretioni non impedimento esse, fertur: haec arteria autem tam profunde jacet, ut ejus ligatione in vivis unquam instituta, valde dubitandum sit.

c. Sanguini venae portarum plus carbonii et hydrogenii reliquo venoso sanguine, imo amaritudinem, atque etiam chylum ex chymo praecipitandi, inesse facultatem, traditur; a praevalente autem aliqua sanguinis materia, ad fluidum ex sanguine secretum, conclusio haud valet; sic secretioni renum et cutis destinatus sanguis, alcalisalisatus habetur, in utroque secreto vero acidum liberum invenitur; Abildgaard insuper ostendit (*Nordisches Archiv von Pfaff und Scheel B. I. S.* 493 — 505) sanguinem arteriosum siccatum, quantitatem nitri decima aut undecima parte majorem, in alcali mutare, quam eadem sanguinis venosi arefacti copia, et sanguinem venae porta-

rum ne unum quidem nitri granum, amplius cetero venoso sanguine, in alcali reducere, quo patet: utrumque sanguinem eandem principii carbonacei quantitatem habere. Sanguinis venae portarum niger color pendere videtur ex acidi carbonici magna copia, quod facile in sanguine solvitur, et tam arteriosum quam venosum nigro colore imbuit. A. Vogel sub antlia pneumatica, ex recente bovis sanguine, (et arterioso et venoso verisimile) multum acidi carbonici obtinuit; sed nondum quisquam ex sanguine, tali modo tractato, oxydum carbonis gasiforme, aut carbonem volatilem, accepit.

d. Vasa hepati sanguinem ferentia, cum hepati ipso ejusque secreto, comparata: arteria hepatica ad hepatis molem, vena portarum autem ad secretam bilem convenit; in foetu arteria hepatica magna, secretio bilis vero exigua est; in hepate aucto arteria hepatica tantummodo aucta, non autem vena portarum, nisi per longum tempus nimia actio vitalis locum habuerit.

Argumenta per arteriam hepaticam secretionem fieri.

a. Tria exempla nota sunt, quibus vena portarum non in hepar, sed directe in venam ca-

vam inferiorem transiit, nihilominus vero bilis secernebatur: indicium saltem, sub certis conditionibus arteriam hepaticam per se bilis secretionem praestare posse.

b. Fellis copiam non convenire ad hepatis magnitudinem, inde aliam adhuc functionem, ad venam portarum spectantem, hepati esse dicitur; quaenam autem sit, uno ore non consentiunt physiologiae periti; in actione reciproca systematis arteriosi et venosi versari, alii putant, sed opinio haec nimis arbitraria est.

Quibus pro et contra dictis, et omnibus rite perpensis, concludere tantummodo nobis licet: et venam portarum et arteriam hepaticam, sine alterius auxilio, bilem secernere posse; venam portarum autem maxime hoc in munere participem esse, nemo dubitavit.

Ut quodcunque animal in evolutionis gradu infimo est, ita minimum systema arteriarum pretium habet; quanto magis vero animal adscendit, tanto magis indiget organorum, sanguini plus oxygenii advehentium, qua ex causa in molluscis arteria hepatica sufficit, ad eliciendam e sanguine justam carbonii et hydrogenii copiam; in piscibus vero jam vena portarum, arteriae hepaticae adju-

vans, supervenit, et observationes clarissimi Professoris Jacobson (*Meckels Archiv Bd.* 3) docuerunt: etiam renum secretionem venosam esse in piscibus, reptilibus et avibus.

Caput VI.

Usus bilis ad chylificationem.

Quamquam officium hepatis potissimum in partium combustibilium ex sanguine remotione consistit, magnam tamen partem habet ad chylificationem promovendam.

Plura experimenta monstrarunt, eosdem cibos, uno eidemque animali in varios ductus intestinalis locos ingestos, varias etiam mutationes subiisse; sic cibi in inferiorem ventriculum illati, quater citius concocti sunt, quam qui per pharyngem vel ventriculum superiorem assumpti erant.

Meatibus biliariis ligatis, quarto die postquam sumpti erant, cibos non manifesto mutatos vidit, cum statu naturali, post tres vel quatuor horas jam mutentur; quis est, qui nesciat molestias in cibis concoquendis eos pati, quibus hepar aegrotet?

Bilis in duodenum effunditur, partim tractus intestinalis distentione et contractione, vesicae felleae tributis, partim chymi in meatus excretorios incitatione.

In jejunis et dum cibi in ventriculo sunt, vesica fellea bile concentrata referta est, ductus hepaticus autem et choledochus bile hepatica obducti sunt et etiam intestini superficies interna; ut primum vero cibi in duodenum promoventur, vesica fellea evacuatur et bilis solummodo in intestinum, non autem in vesicam emanat, quo simul patet: et vacuo et expleto duodeno semper bilem affluere.

Princeps bilis in chymum effectus oxygenii derivatio esse videtur; illi enim admixta bilis statim cuticulam efficit, et praecipitatum verisimile ex bilis et chymi albumine confectum, quod non fit, si bilis per aliquod tempus aëri exposita fuerit; bilis sanguinem recens ex vena missum coagulare non finit; bilis fermentationi acidae obstat, quae contra e vinosa statim in putridam transit.

Quomodo autem illud praecipitatum iterum solvatur et chylus fiat, nescimus; majore oxydatione aut succo pancreatico hoc fieri, alii opinantur.

Caput VII.

De aliis rebus hepatis functionem laedentibus.

Omnibus hisce de functione hepatis dictis erit consideratis, patet: quaecunque corpori hy-

drogenium et carbonium nimia copia advehentia facile hepar affligere posse.

Ingluvie galli aëre paludoso inflata, hepar intumescit et bilis decolor fit; hepatis anserum aliorumque animalium parenchyma, adipis instar et tandem paralyticum fit, si globulis e farina, ficis, adipe, spiritu vini juniperisato, antimonio et aliis talibus pascuntur; aestas, terrae calidae, aër paludosus, vita sedentaria, pisces, ova, hydrosulfur etc. corpora animalium hydrogenio nimis replent, eoque proclivitatem ad morbos hepaticos progignunt; longe damnosissimus autem nimis magnus et continuatus spirituosorum potuum usus est; praeter noxiam enim corporis hydrogenisationem, id etiam detrimenti affert, ut biliari meatus ob sympathiam cum eorum orificio intestinali justo fortius irritentur, qua ex causa tandem hepar paralyticum fit, unde varii morbi originem petunt, ut icterus, diarrhoea, vomitus, dysorexia, anorexia, dyspepsia, bilis coagulatio et calculi fellei.

Hepar tam facile compati, si alia cum illo per sympathiam arcte conjuncta organa aegrotant, magna ex parte functione ejus nobis patefactum est; quis est, qui talem sympathiam inter cutim et hepar obtinere, ignoret; bilis nigra, qua exanthemata excitari multi pathologiae gravi crediderunt, nihil aliud esse videtur, nisi sanguis hepate in-

erte nimis hydro-carbonisatus. Exanthemata arteriosae indolis in universum cum cerebri atque pulmonum, illa venosae indolis autem cum hepatis morbis componi solent. (*Reil Fieberlehre. B. V. S.* 65.) Hepar vitiosum exanthemata pustulosa non raro comitatur. In variolis crystallinis hepar et lien mollia, atque hydatidibus referta, Cotunni invenit et in puella variolis confluentibus mortua, hepar tantopere mole auctum erat ut ad pelvis cavum fere descenderit. (*Reil Fieberlehre Bd. V. S.* 299.) Ephelis hepatica ut plurimum in hepate male affecto, nititur.

In infantibus monstrose pinguibus pulmones plerumque minimos, hepar autem, ingentis magnitudinis fuisse, observatum est; in phthisi pulmonali hepar non raro in massam adiposam mutatum visum est, et Meckel (*pathologische Anatomie Bd. I. p.* 614.) narrat, in puella viginti annorum, pulmonibus omnino destructis, renes justo longe majores fuisse, hepar autem et lien consuetum eorum pondus vel duplo superasse; pariter affirmat, omnia haec viscera sanitatis speciem prae se tulisse, excepto hepate, quod pallidi coloris et sex librarum ponderis fuerit.

Insignis vero sympathia inter hepar et cerebrum locum habet; plurimis acephalis hepar vel omnino deficit, vel saltem justam magnitudinem non

accepit; quin etiam in manca carnii evolutione, Meckel aliquoties hepar tertia parte minus solito invenit.

Valde mirum est, laesionibus cerebri et ventriculi nervorum, secretionem succi gastrici imminui, hepatis autem augeri. Perturbationum animi cum hepatis affectionibus nexum omnes notum habent.

Caput VIII.

Hepate morbo laborante, vicinae quoque partes adficiuntur.

Generatim tantummodo de iis mentionem faciam, quae maximi momenti mihi videntur, cum in singulis morbis fusius hac de re exponam.

Systema venae portarum cum arbore, cujus radices in abdomine, ramuli autem in hepate dispersi sint, Galenus jam pridem comparavit, inde patet: hepar, solis instar luce sua abdomen illustrans, si aegrotat, omnia viscera abdominalia turbare posse, maxime vero lien, cujus vena truncum quasi venae portarum exhibet.

Magnum hepati cum corde est commercium, nam inter hepar et pericardium, cor continens, tenuis tendinea diaphragmatis pars interjacet.

Preterea vena cava inferior per hepar transit, et ubi ex hepate emergit, mox diaphragma penetrat et sinum format venosum dextrum. Ex quibus patet: hepatis morbos graviores etiam vicino cordi nocere posse.

Morbi hebatis pulsus frequentiores, duriores, parvos nonnunquam et intermittentes efficere videntur, saepe etiam auxietatem, capitis dolorem, insomniam et dispositionem ad sudores.

ALIORUM HEPATIS MORBORUM SIGNA.

Febris biliosa et ardens.

Circa matutinum et aliud tempus, post sudores imperfectos vel etiam post nonnullas sedes, febris biliosa sedari solet, aestus omniaque symptomata minuuntur; sub vespertinum autem revertunt noctemque permanent.

Sunt febres biliosae absque ullis signis sordium ventriculi biliosarum; ex aliarum causarum absentia, e ligna portenta tremula, atque labii inferioris tremore dum aeger loquitur, e facie rubicunda, oculis scintillantibus, alvo pauca humida vel sedibus parvis tenesmo stipatis, ex epidemia et anni tempore, harum febrium indoles cognoscitur.

Si sordes linguae firme adhaerent, vomitus inanis, vomituritio, alvus parva aquosa et nonnulla linguae siccitas adsunt, sordes biliosae ob earum tenacitatem, firme et immobile ventriculi intestinorumque parietibus adglutinatae sunt.

Multi sponte vomunt et biliosa quidem; hi mitius aegrotant et citius convalescunt.

Gravitas desumitur a statu aegrotantis, naturali magis minusve adverso; sic in sene atque hieme adveniens, letalis plerumque.

Vox rauca et aphonia est in febribus biliosis familiaris. Sub diem septimum et sequentem facile maculae parvae, magnae etiam et latae, ex rubro subnigrae, nonnunquam iterum evanescentes, ut etiam miliaria adparent; aliis circa os pustulae erumpunt, quae omnia exanthemata symptomatica semper sordes primarum viarum indicant; miliaria tamen nonnunquam morbum levarunt.

Crisis fieri solet per sudorem, urinam sedimentum lateritium praebentem, plerumque autem per vomitum et diarrhoeam, nonnullis etiam per miliaria.

Exanthema labiorum usque in nares serptum, crisin perfectam, quarto die demum per sudorem praenunciavit; et in eodem aegro omnes dentes atri carbonis instar, vidit Vogel, quae nigritudo paulatim tantum tolli potuit.

In primo salutem pollicente somno post vehementem morbum, aegri nonnunquam oculis semiclausis dormiunt, quod non metuendum, ceteris signis faventibus.

Crisis fit per icterum die septimo vel post, non ante, modo mollia sint hypochondria.

Somnus vehemens, delirium excipiens, e quo aeger mentis haud compos expergiscitur, non criticus quidem est, saepe tamen indicat post aliquot dies talem somnum rediturum, e quo sibi conscius et serenus aeger exeat, et deinde modo convalescat.

Deliria et convulsiones in biliosis febribus, praesagit urina prius tincta, subito autem prorsus aquea facta; tunc plerumque letifera.

Optimus et creberrimus transitus in alium morbum est, qui fit in febrem intermittentem; sperandus est, si exacerbationes cum frigore incipiunt, remissiones longiores et exacerbationes minores et mitiores fiunt.

Hyeme approximante, ut plurimum febres biliosae mutantur in intermittentes regulares; si res male vertit, facillime biliosa transit in putridam febrem.

Si evacuationes alvinas sudor criticus et urina cum sedimento rubro, non sequuntur, urina contra semper cruda manet, sub ceteris signis convalescentiae, febris recidiva, aliaque mala exspectanda sunt; quandoque tamen illae crises non fiunt, licet aeger salutem recipiat, si modo evacuationes tempestive factae fuerint.

Parotides et tumores in partibus extremis, non raro oriuntur.

Febre sublata, vires interdum non revertunt, ciborum appetitus prostratus est, et lingua sordida, quorum malorum causa et ventriculi debilitate et sordibus remansis, aut denuo ortis et obstructionibus hepatis, raro alii visceris, cernuntur.

Ceteris signis bonis, remanet tamen quandoque insomnia, cujus causa in ventriculi debilitate, vel raro in hepate obstructo, quaerenda.

Quidam cataracta laborantes asserebant, se repente visu fuisse privatos, quo tempore febre acuta fuerant detenti, quam biliosam fuisse, medico constabat. Stoll.

Aegrotus quidam, a decimo tertio inde aetatis anno, iucubitum passus, febre biliosa affectus erat, quae in febrem quartanam mutabatur, febre sanata, incubitus nunquam revertit. Reil.

Febris ardens perfecta, diem septimum raro transit. Si signa habet bona protinus ab initio, plerisque quarto die solvitur.

Ei qui ardente febri laborat, si rigor sub urinae pepasmo, diebus imparibus, dimidio septimi, undecimi, decimi quarti supervenerit, morbi fit solutio, ubi praesertim post ipsum vel sanguinis eruptio vel sudor vel biliosorum humorum sequitur felix excretio. Hipp.

Bonum, si aegri bene sitiunt et large commodum hauriunt potum, et contra, si nil sitiuut.

Quibus in febribus ardentibus aures tinniant, obsurdescunt cum visus hebetudine et ad nares gravitate, his non soluta febre, necessum est, delirare; solvitur autem inter alia sanguinis e naribus eruptione, aut alvo biliosa.

Malum, si rigor prioribus diebus repetit, materie utpote adhuc incocta febris. Accessio nova die pari pessima, si id ante diem sextum. Hipp.

Diarrohea critica in ardente cohibita inducit facile phrenitidem, vel intestinorum inflammationem.

Alvus sicca, praecipne in morbi statu, pericu losior semper est, quam nimia illius solutio in febre ardente itemque biliosa.

Quum scorbutici in febrem incidunt ardentem, horrendis ac insuetis exagitantur symptomatis, delirio, convulsione, anxietate praecordiorum, aphonia, atshmate, animi deliquio, cardialgia; cessant vero symptomata, postquam purpura scorbutica in cute adparuit.

Dejectiones et vomitus nigricantes obitum praecurrunt.

Hepatitis.

Effectus illi, qui fiunt a sanguine urgente loca inflammata, quique signa sunt inflammationis

praesentis, saepe non ita distincte se manifestant, ubi in ramis venae portarum haeret morbus; et hac ipsa re effici videtur, ut quandoque medici in diagnosi hujus morbi fallantur.

Inflammatio quae partem gibbam arteriae hepaticae occupavit, magis dolet illa, quae circa venam portarum est. In casu priori inflammationis effectus citius oriuntur, ob sanguinem arteriarum et cordis viribus in fines obstructos impulsum, contra serius fiunt, si malum haereat circa extremitates venae portarum, per quas tardius sanguis movetur.

Si inflammatio partem gibbam occupavit, urgent symptomata pleuritica, si partem cavam, stomachica.

Decubitus difficilis in latus sinistrum, et dolor subitus in latere dextro post violentas contentiones, ex hepate diaphragmati, intestino colo vel ventriculo adhaerente, oriuntur.

Exsudatio in hepatis parenchyma metuenda, si inflammatio exorta est post nimias corporis contentiones, aut in terris calidis, natura typhosa stipata, post nimias venae sectiones et alvi fluxus, in senibus praesertim; raro solvitur, utplurimum autem transit in suppurationem, colliquationem et gangraenam; subito enim magnus tumor fit hypochondrii dextri, tactu valde dolens, dorsi

dolor, dyspnoea debilitas pulsuum, ingens anxietas, vomitus, singultus, oedema partium extremarum inferarum, denique mors.

Absque ullo puris indicio, inter externam hepatis membranam et parenchyma, aquarum collectionem invenit Frankius.

Magno tumore hepatis, diaphragma in cavum thoracis premitur, et latus dextrum thoracis in altum tollitur. Ventriculus, duodenum et colon, ex eorum situ naturali remota, vario modo functione turbantur.

Hepatitis acuta plerumque die septimo, nono, undecimo et decimo tertio solvitur.

Tensio qnaedam circa hypochondria ad dextram vel sinistram partem, pro signo est futurae criticae haemorrhagiae rarium.

Dolor in lienis regione resolutionem hepatitidis indicat, sed patet, tunc modo mitiorem lienis dolorem pro bono signo habendum esse, cum nulla signa suppurationis adhuc adsint, nam in graviori hepatitide ct vomica in hepate jam orta, ejusmodi dolor in liene nascitur, quia vcna lienalis impeditur sangninem suum tradere venae portarum. Sic observatur quandoque ejusmodi dolor circa lienem, ubi hepar in scirrhum indurescit, nec non saepius in ictero pertinaci.

Hepatis gibbae partes inflammatae tribus praecipue

cipue crisis modis obediunt; haemorrhagiis ex dextrá nare, atque sudoribus utilibus et urinis copiosis. Simae autem partes, excrementis alvi biliosis atque sudoribus, nonnunquam etiam et vomitibus.

Quandoque dysenteria adesse creditur, dum alvus biliosa cum pauco cruore fluit; verum ubi hepatitis per hanc viam evacuata materie, in sanationem tendit, non adsunt tormina valida abdominis nec molestus ille circa anum tenesmus, quae dysenteriam comitantur.

Alvi profluvium in quavis jecinoris inflammatione, morbo adhuc existente crudo, malum est.

Ad crisis tempus nonnunquam icterus morbum ſtollit; metastasis ad cutim non raro est. Bianchi vidit inflammationem hepatis erysipelatosam, quae tertia die mortem minitabatur: verum subito tota facies erysipelate fervidissimo occupabatur, et quarta die febris et hepatis malum absque ulla alia evacuatione cessabant.

Hepatitidem pemphigo critico solutam, vidit Frankius.

In febribus autumnalibus epidemicis post fervidissimas aestates natis, saepissime contingit, ut levis simul hepatitis adsit et dum sublata febre, nondum solutum est omne, quod hepatis vasis infarctum haeserat, saepe postea languidam vitam

ducunt, pallidi, subflavescentes et difficillime ad integram sanitatem reducuntur.

Multis sedatus (non curatus integre) ejusmodi morbus revertitur, tuncque periculum est, ne aeger contabescat. Hipp.

In hepatitide semper funesta putredo metuenda est, et longe frequentius sequitur, quam benigna suppuratio. Vehementes dolores humeri, stupor in brachio dextro, atroces dolores cruris et surae nullo medicamento cedentes, nobis suppurationis jam factae suspicionem praebent.

Qui suppurato hepate uruntur, si pus purum et album fluat, evadunt; in tunica enim his pus inest: si vero qualis amurca fluat, pereunt. Ubi enim bona suppuratio fit, in uno loco circumscripto pus colligitur, et forte hoc tunc imprimis fit, quando circa exteriorem convexam hepatis partem vomica orta est, externa hepatis membrana coërcita et tecta; ubi vero in intima substantia hepatis abscessus fit, tunc in amurcae similem putrilaginem omnia convertuntur, et nulla spes superest.

Si inflammatio gravissima fuerit, et pessimis stipata symptomatibus, tunc potius lethalem gangraenam pessimamque corruptionem exspectemus quam suppurationem. Verum ubi manserint omnia signa inflammationis ultra triduum, nec ulla

signa resolutionis vel coctionis excretionisque materiae morbi apparuerint, inflammatio in molli adeo viscere in suppurationem transit.

Tale apostema hepatis vel

a. totum depascitur jecur, oirturque tabes hepatica, vel

b. rumpitur in cavum abdominis effuso pure sanioso, vel

c. in vicinum jecinori viscus aut partem cum hepate connexam — in ventriculum quod Frankius vidit, aut intestinum, praecipue colon, aut per erosum diaphragma in ipsum pectoris cavum et concretum aliquando cum diaphragmate pulmonem, rarius, si illuc usque hepar inflammatum pertingat, in lienem ipsum aut denique in peritonaeum musculos abdominales, lumbales obtegens, prorumpit, atque nova, propria cuivis parti, sympromata et abscessus fistulasque longe lateque exeuntes, progignit.

d. vel latex saniosus per venam cavam in cruorem transfluit, unde nonnullis abscessus circa aures nascuntur; de quibus tamen non multum boni nobis sperandum esse prolucet ex effato Hippocratis: „Ex hypochondrio diuturno (diu affecto vel tumido) abscessus circa aurem occidit," et alibi dicit: „Anxietatem in hypochondrio sentientibus tumores circa aures ortos, mortem inferre." —

e. vel elato tumore accrescit apostema peritonaeo, atque ibi abscessum externum hepatis format.

Si in parva modo parte jecoris exigua inflammatio est, calculo, scirrho exiguo, pustulae, exiguo abscessui originem dabit: quae per se haud ita periculosa sunt, sed orta febre multa mala pariunt.

Hepatitis lenta periculosior est acuta; quia difficile cognoscitur et adversa valetudo jecoris totiusque corporis praecedit. Si aeger faciem naturalem recuperat et sedes male olentes cessant, sperandum est. Sedes vero pure mixtae utplurimum lethales.

In hepatitide lenta raro icterus nascitur, interdum haemorrhoides; facile morbus transit in colliquationem hepatis purulentum, quacum jungitur febris hectica.

C h o l e r a.

Dolores colici, quamdiu evacuationes perdurant, ferocissimi, raro fixi utplurimum vagi, in umbilici regione tamen atrocissimi maximeque constantes esse solent; iis auctis, spasmi extremarum partium etiam augentur.

Sudores universales, urina sedimentosa saepe sensu urente emissa, critici habentur.

Mors saepissime die tertio, quinto aut septimo, vel ex virium consumptione vel ex sphacelo enteritidem excipiente, sequitur.

Morbi posthumi versantur in dispositione ad diarrhoeas aut ad alvum spastice obstructam, ad dyspepsiam, cardialgiam, colicas reiteratas, spasmos vesicae urinariae et ad paralyses maxime partium extremarum inferarum.

Cholera habitualis decursum tardiorem facit et saepius recrudescit, si calculi fellei adsunt.

Cholera diutius et gradu altiore permanens, febre comitatur, quippe quae biliosa inflammatoria aut nervosa esse solet. Febris intermittens, cholerica auxilio medico serius vel prave adhibito secundo vel tertio jam accessu sub vehementissimis spasticis insultibus homines jugulat.

Hypochondriaci, hystericae et hepatitidem aut choleram jam passi homines, ob nimiam sentiendi facultatem, cholerae prae aliis obnoxii sunt, sicut etiam infantes dum dentiunt.

Quanto magis excrementa a statu naturali recedunt, tanto periculosior morbus v. g. si livida nigra aut loturae carnis similia.

Vehemens sitis malum indicium. Mortem indicant animi deliquia, singultus, pulsus intermittentes, convulsio, sudores gelidi; si foetida rejiciantur, intra quatuor dies necantur,

Inflammationem in sphacelum abiisse, non leve est indicium, si pulsus totus concidit, crura contrahuntur, frigidae sudationes fiunt, anima deficit.

Spes affulget, si morbus ultra diem septimam protrahitur, si conquiecunt vomitus cum insequente somno et levamine; flatuum per inferiora eruptiones.

Cholera facile transit in iliacam passionem.

Choleram ortam viderunt medici, post retrogressa exanthemata, arthritidem et mensium fluxum.

Diarrhoea biliosa.

Diarrhoea aliquoties viscerum abdominalium intumescentiam et inde ortum icterum, hydropem, hypochondriasin et melancholiam tollunt.

Diarrhoea biliosa critica habetur in febre biliosa, hepatitide, ictero.

Protinus a primo die post morbillorem eruptionem, pluribus aegrotis diarrhoea bidua biliosa accessit, cui non modo tussis et febris, sed etiam exanthema sine noxiis cesserunt. Tozzeti apud Reil.

Deprehendimus diarrhoeam biliosam male curatam in chronicam cruentam versam.

Pneumonia biliosa, tam fasile in putridam abiens, et cujus exacerbationes in diem tertium veniunt, solvitur diarrhoea biliosa, vel ictero tertio die nato.

Hippocrates biliosas alvi excretiones illis evacuationibus adnumeravit, quarum absentia in peripneumonicis futurorum abscessuum indicium exhibet.

Quibuscunque morbis incipientibus si bilis atra sursum vel deorsum eruperit, lethale. Hipp.

Strictam alvum in febre ardente esse, minime conducit: cum enim acrior vel corrupta bilis tam saepe has febres incendat, et per insignem aestum et moram cito corrumpatur, bilis etiam sana, et saburra si primis viis evacuantur, bonum. Hippocrates jam notavit, raro contingere febres ardentes illis, qui laxiorem alvum habent. Quibus biliosae sunt dejectiones, surditate orta, cessant, et quibus surditas, biliosis obortis dejectionibus cessat. Hipp. Galenus autem monet, in Commentariis suis in hunc textum, hic non intelligi confirmatam et saepe sanatu difficillimam surditatem, sed talem quae repente in febribus oritur.

Icterus.

Solvitur quandoque erysipelate vesiculari, pustulis flavis, purpurae variolarum instar magnis, prurientibus multum, exanthemate scarlatinoso. scabioso, herpetico furunculis in corpore pluribus, finitur transpiratione liberali, urinis, diarrhoea haemorrhagia larga, haemorrhoidibus, fluxu mensium magno, ptyalismo.

Urina crassa, turbida et nigra est signa solutionis morbi, ceteris signis bonis.

Si color viridescit absque viriditate ad citrinum sensim mutatur, optimum hoc est signum convalescentiae.

Sudores arte promoti ictericos non juvant; bonae notae sunt sudores illi largiores, qui flavedine sua indusia tingunt.

Qui gravidis ultimis accidit mensibus, emisso per venam cruore, vel partu tandem tollitur.

Icterus a podagra veniens retrograda, hac revertente abit. Qui intervenit febribus corruptis et arte in ordinem redactis, boni est ominis.

Quibus in febribus icterus accedit ante septimum diem, malum, nisi humores per alvum cedant. Hipp.

Quibus in febribus die septimo aut nono aut decimo quarto icterus obortus fuit, bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit, alioquin non bonum. Hipp.

Icterum a pituitosa in primis viis colluvie natum, minime lethalem, et facile sanabilem pronunciavit Hipp.

In recens natis infantibus a glutinosis lentis humoribus, in intestinis acervatis, frequens icterus oritur; expulsa per leve purgans hac saburra, facile curabilis.

Color flavus, si repente in album iterum transit, pessimum.

Mala est alba et clara urina, minatur utplurimum hydropem, maxime in morbo nigro atque longo.

Malum, prostratum adpetitum esse, aegrum vigiliis molestari, delirare, sermonem cum labore formare, ventrem tumere nec medicinae cedere inflationem; salivam ferri flavam, eundem cum duris hypochondriis febrim sequi.

Lethale, si venter valde tumeat, si haemorrhagia jungatur, maxime in nigro, si accedat aurigo phrenitidis incremento, et hanc sequatur lethargus.

Satis est pericolosus icterus, si inflammationibus ventriculi, hepatis, duodeni etc. si lienteriae jungitur, si a spirituosorum abusu provenit.

Saepissime icterus transit in tympanitidem, inveteratus autem in cachexiam, hecticam, phthisin, hydropem, in hunc facile, si urinae diu fuerint aquosae.

Tremor et dèbilitas in sermone cum vigiliis et tristitia, sunt signa lethalia.

Stoll vidit in ictero febrili metastasin biliosam oriri ad brachium dextrm, quod mire intumuit, tumore non rubente et valde dolorifico; paucos post dies aeger mortuus est.

Regius morbus in senibus pinguibus raro aut nunquam sanatur.

Niger icterus fere incurabilis, maxime post quartanam, ante pubertatem tamen si eveniat, interdum curatur.

Homines semel in febre intermittente icteriri facti, in futuris febribus iterum eodem morbo affici solent.

In consuetudinem abiens icterus saepius redire solet et nonnunquam quidem certis diebus, tumque saepissime calculus latet felleus; hic non tam vehemens quam hepaticus icterus; colica hepatica subito intrante comitatur, et cachexiam, febres lentas, hecticas, ascitem etc. relinquit.

Icterus post subitam diarrhoeae, dysenteriae vel morbi alicujus exanthematici suppressionem, non raro nascitur.

Ex siti magna et diutina oritur saepius icterns cum dolore laterali, quem si levis, diarrhoea solvit.

Icterici ex bilis copia non admodnm flatulenti sunt, contra ubi ab obstructione vel spasmo. Hipp.

Icterus a vomiturio non raro intendebatur, aut motus febriles, qui antea non adfuerant, exitabantur. Stoll.

Observatur bilem stagnatione, nec non calore nimio febrili, citissime corrumpi, et in cadaveri-

bus animalium circa hepar prima incipientis putredinis signa apparent. Dum autem febrili impetu sanguis in obstructa haec loca urgetur, vasorum destructio, humorum effusio et gangraena merito metuuntur: imprimis cum hapar adeo molle et friabile sit, ut rudiori etiam attactu facile tenera ejus fabrica destrui possit. Hinc patet qui fiat, ut toties post icterum vomicae putridissimae in hepate inveniantur.

Abscessus hepatis.

Hujus morbi supra quidem jam mentionem feci, sed tamen non possum, qnin aliquid fusius hac de re disseram.

Plerique abscessus hepatis iu lobo dextro occurrunt, a centenis singulum tantum in sinistro lobo, ternosque in feminis Clarkius invenit.

Dolorem secantem abscessu in intimo parenchymate insidente, concitatum observavit Frank.

Hepatis abscessus frequenter superveniunt capitis laesionibus, praecipue succedente die tertio febre, timendi. Ballonius.

Post exstirpationes mammarum, aneurismatum etc. ubi pus collectum in talis vulneris superficie retinebatur, saepe jecoris vomicae purulentae inveniri monuit van Swieten.

Novimus tunc in peripneumonia ad hepar verti materiam, si post signa generalia futurorum abscessuum praegressa, dolor in hepate percipiatur, non evanidus cito (uti fit dum circa crura oriuntur abscessus) sed manens; reliqua indicia abscessus hic formandi sumuntur e secretione et excretione bilis laesis.

Bajon vidit, pus juxta peritonaeum usque in crus demitti; hepar destructum et lieu putridus fuerunt.

Nonnunquam ut supra jam dictum pus in cavum pectoris pervenit; tunc diaphragmatis tendo omnino corruptus et foraminum ambitus scirrhosi fuerunt.

Abscessus superficiei concavae in intestina, maxime in colon et ventriculum aperiuntur et pus vel vomendo vel laxando evacuatur.

Fieri potest, ut abscessus intus in meatus biliosos, et deinde in duodenum aperiantur; sed raro fiet; etiam puris ejectio per hanc viam non sufficit: abscessus augetur et plerumque fluxus hepaticus et phthisis hepatica succedunt.

Hepatis et mesenterii abscissus fistulam umbilici aliquando gignere Klein observavit.

Periculum est ne animi deliquium et subita mors sequantur illo tempore, quo abscessus rumpitur: venae portae enim rami antea a vomica

pressi, nunc pure elapso liberi, a sanguine impetuosius irruente rumpi facile poterunt, praecipue cum a pure acriori tam diu accumbente macerati fuerint, et quasi semi exesi.

Si subito boni etiam] puris copia misceatur sanguini venoso, illud momento post pelletur per pulmonis angustias, ibique poterit haerere et subitam suffocationem producere; si acer ichor putridave sanies eo deterius est.

Si ingens quantitas boni caeteroquin puris subito exeat de corpore, novimus magnam partem hepatis per suppurationem consumtam esse, adeoque et tunc magnum discrimen adesse, imprimis si simul subita sequatur virium jactura.

Hypercatharsis semper lethalis, sanguinis sursum vel deorsum excretio observata fuerunt, dum tabefactum hepar validis vomendi nixibus rumpebatur. Sic van Swieten mulierem, quae diuturno ictero foedata fuerat, sumpto emetico incidere vidit in hypercatharsin, qua ingens copia putridae amurcosae materiae per alvum ruebat, dein puro sanguine exeunte lipothymia et paullo post mors sequebantur.

Multi autem abcessus sanantur, dum pus bonum, album neque nimia copia abit, excretio saniosa cedit et febris lenta nondum adest.

Optimum vero est, per urinas crisin fieri; securior enim et minus noxia est haec puris via.

Morbus hypochondriacus.

Cum hypochondria maxima ex parte hepati tam arcte incumbant, ab antiquissimis inde temporibus, signa gravissima jecur spectantia, hic non omittenda ex iis sumta sunt.

Hypochondria optima sunt, si dolore vacant, si mollia et aequalia sunt in dextro ac sinistro latere.

Ventris palpitationes cum hypochondrii tensione sublonga et tumente, sanguinis indicant eruptionem. Hipp.

Tumor durus et dolens in hypochondrio, pessimus quidem si totum hypochondrium occupaverit: sin vero in altera tantum parte fuerit, minus periculosus, qui in sinistra. Verum significant tales tumores in initio quidem, periculum esse mortis brevi futurae; si vero febris vigesimum diem superat, nec tumor interea subsidet, in suppurationem vertitur; ubi autem ejusmodi tumor ex musculorum inflammatione oritur, raro lethalis aestimatur. Hippocrates ait: medicus attendat an aegri capite doleant aut visus hebetudinem percipiant; quae sanguinis per nares effluxuri signa sunt, quem effluxum in primo morbi circuiu levamen sequitur.

Primum signum fluxuri sanguinis e naribus

esse praecordiorum tensionem sine dolore, dixit Galenus; cum dolore autem non fluxurum sanguinem sed inflammationem testari affirmat. Si mollior hypochondrii tumor est, nec dolet et pressus digitis cedit, diuturniorem efficit judicationem, ac minori cum periculo est. Hipp.

Caeterum praecordiorum dolores ac tumores si fuerint recentes et sine inflammatione, solvit murmur in praecordio obortum, et maxime si pertransierit cum stercore et urina ac flatu; in ventriculo enim aut intestino colo videntur haerere hi tumores molles.

Qui sanguinem nigrum foetidum concretum evacuant per alvum, si dextrum hypochondrium fuerit durum tumidum ac dolorosum, facies citrina, certo moriuntur.

Tensionem hypochondrii cum aestu anxioso atque capitis dolore, parotidem significare notavit Hippocrates.

Ab hypochondriorum tumore biliosis spiritus magnus ac febris acuta, parotides emanant.

Quibus ad hypochondria dolor sine inflammatione vel febre, iis febris superveniens solvit sedatque dolorem. Hipp.

Si in hypochondrio pulsus quoque sentitur, perturbationem significat vel delirium.

Hepar obstructum.

Vita sedentaria, praecipue prono corpore, pectoris dolores, hepatis lienisque fiunt obstructiones. Febris lymphatica non raro obstructiones hepatis gignit; frequentius quam vulgo creditur scirrhosae indurationes in hepate nascuntur, imprimis si febres autumnales post fervidissimum aestatem epidemice grassantes, nimis cito corticis peruviani usu supprimuntur: solet tunc remanere color ictericus in oculis, ponderis prementis sensus circa praecordia, auctus repleto post pastum, ventriculo.

Hepar obstructum tam facile diuturnas autumnales febres sequens saepius in adolescentibus quam in adultis occurrit; in illis vero sanatu facilius est quam in his.

Si vesica fellea, ductu ejus excretorio quocunque de causa clauso, bile turget et se evacuare nequit, post diras anxietates vomitus enormis sequitur, tamdiu durans, donec vehementissimis spasmis diaphragmatis et musculorum abdominalium retro pressa bilis in sanguinem redierit, et icterico colore totum corpus foedaverit; quod quidem fieri posse plura a beato Waltero instituta experimenta probarunt, quibus transitus liberus ductuum bilarium et vasorum lymphaticorum in venam portarum nobis patefactus est.

Scirr-

Scirrhosum hepar et ejus tumor suppuratorius saepe vomitus causa est.

Verum quidem est, canales bilem a sanguine venae portarum secretum ferentes, difficilius obstrui, cum ex angustiis in latiorem canalis partem fiat hujus liquidi motus, sed circa orificium ductus choledochi duodenale major angustia est, et ibi saepe nascuntur obstacula.

Hypochondriacorum sicca tussis frequenter recrudescens, merito suspicionem scirrhositatis internae maximeque hepatis movet.

Hypochondriacorum anxietates diuturnae saepe hepatis sequitur putredo atque dysenteria colliquativa tragoediam claudens. Haec anxietas distinguitur ab anxietate circa vitalia viscera, quod nec pulsus multum mutatus sit, nec resspiratio adeo laesa, cum neque in pulmone neque in arteriis e corde egressis oastsculum sit, sed circa fines venae portarum, nihilominus autem aegritudinis sensum non circa hepar, sed circa cardiam percipiunt aegri; hoc enim in loco prementis ponderis molestissimum sensum habent, illi qui paulo post retrogressa in sanguinis massam bile, ictero foedabuntur.

Febris ardens cum anxietate malum: vel sanguis per venae portarum angustias transire nequit, vel bilis corrupta circa praecordia collecta pessimam anxietatem producit.

Cum aphthae in morbis revera nonnunquam criticae sint, non mirum et perturbationes criticas praecedere anxietatem, nempe circa praecordia. van Swieten.

Quibus jecur aut lien scirrho vel alia quadam re obstructum est, ii difficulter sudant in morbis.

In obstructis hepate ac liene alvus plerumque obstipata est.

In obstaculis ramorum venae portarum vel ductuum biliosorum, ingens copia urinae excernitur, praecipue si ab inordinato spirituum motu, vasculis spasmo contractis, ortum duxerit.

Hepatis obstructio facile degenerat in quartanam, asthma pituitosum, cachexiam, hydropem.

Induratio hepatis in cholericis vel siccis hecticam, in humidioribus hydropem inducit.

Tumente hepate vel liene si intumescunt pedes, hydrops in proximum est. Hipp.

Periculum significatur, si hydrops post tumorem hepatis vel lienis durum, si superiora gracilescunt et facies simul flavescit.

Sicut autem, obstructis canalibus biliosis, transitus fit materiae biliosae in venam cavam, sic et obstaculo nato circa ultimos fines venae portarum, ita ut sanguis in venam difficulter trensire possit, quandoque videntur sic dilatari rami secretorii bilem vehentes, ut et sangui-

nem transmittant, qui tunc in duodenum exit, saepe larga copia et sursum vel deorsum expellitur ex corpore. In omnibus illis vomitum cruentem praecesserat tensio abdominis molesta et diu aegrotum afflixerat cardialgia, imprimis repleto assumtis cibis ventriculo.

Videtur quandoque contingere obstructis biliosis in hepate meatibus, ita dilatari ultimos fines venae portarum, qui cum venae cavae ramulis per hepar dispersis communicant, ut facillimus transitus sanguinis ex vena portarum in cavam fiat, tunc minus urgebuntur vasa obstructa, nec dilatabuntur; imo collabentur tandem et concrescent cum liquido contento stagnante, sicque hepar minuetur mole, exsuccum et aridum quasi reddetur.

Videntur autem illi evadere, quibus non ruptis vel erosis vasis sanguis effunditur, sed dilatatis vasis biliosis exit in duodenum.

Calculi fellei.

In femina crebrius quam in viris calculos adipocereos inveniri, dicit Fourcroy.

In universum occasionem praebent huic vitio et spissitudini bilis quaecunque causae, motum sanguinis per portarum venam ac secretionem bilis naturalem impedientes.

Vita umbratilis, aerumnis plena, cibi digestu difficiles, potuum spirituosorum abusus, senilis demum aetas ad morbum nostrum disponunt.

Qui diu in carceribus detenti fuerunt, obnoxii his calculis esse creditur;

Ira cum tristitia et metu, nempe ubi se vindicandi occasio aut facultas deest, calculis felleis quin et nephriticis praebet occasionem aliquando.

Columbus in cadavere sancti Ignatii in vena portarum observavit lapides, cujus rei simile quid etiam Walterus vidit

In vesica fellis et poro bilario frequenter admodum calculi occurrunt, sed Ruyschius testatur (observat. anat. 24. p. 25) rarius in ipso hepatis parenchymate eos occurrere: licet enim plus quam centies jecinorum excarnatione occupatus fuerit, tamen semel tantummodo invenit calculum durum in parenchymate absconditum, poro bilario nullo modo affixum, srupulos duos pendentem.

Nonnunquam etiam calculi inter vesicae felleae parietes reperiuntur: ibi vero non formati sed ex vesica illuc delati sunt.

Dolor post coenam vehementissimus esse solet; animi affectibus, corporis contentione, sternutatione, tussi etc. etiam decubitu in latus sinistrum et corpore porrecto dolor augetur.

Observationes docuerunt, quandoque tumen-

tem retenta bile vesicam felleam accrevisse peritonaeo et inflammatione et suppuratione sequente ulcera fistulosa orta esse, ex quibus dilatatis ingentes calculi educti sunt, qui ex vesica fellea in fundo suo per suppurationem aperta, viam sibi aperuerunt:

Pro abscessu tumor vesicae felleae distentae habebatur et pertundebatur. (Petit in Memoires de l'Académie royale de Chirurgie tom. 1. p. 155 — 188).

Inter alia corpora hepati aliena nobis entozoa occurrunt, de quibus maximi momenti sunt:

Hytatides.

Quandoque tumorem externum efficiunt, quo aperto permulti hydatides proveniunt. (Ruysch observat. anat. observ. 65.)

Non raro hydatidum saccus in hepate formatus rumpitur, et millia saepe nnmero hydatidum in intestinum effusarum per alvum ejiciuntur, quae dejectio nonnunquam per plures hebdomades continuetur, et salutem reducit. (*Meckels pathol. Anat. 2. B. 2. Abth. S.* 413 — 420.)

Praegrandes, partim jam ruptas hydatides, effrenum per vomitum magna copia rejectas, Frankius vidit, quarum sedes post mortem in hepate detecta est.

Aegroti talibus evacuationibus sursum vel deorsum sanati, per plures adhuc hebdomades sensum quasi erodentem in ventre habent.

Non modo involucro rupto, in cavum abdominis, sed etiam thoracis hydatides effundi possunt, quo facto vel in saccum pleurae, vel in pul-

monis ipsius parenchyma perveniunt et per os ejiciuntur.

Sunt etiam exempla, quibus fellea vesica hydatidibus referta fuit: Frankius saccum e fellis vesica enormi formatum, et per paracenthesin in muliere apertum, vidit qui sexdecim hydatidum mensuras cepit.

Hydatides si forte in uno loco dispositae fuerint, cultro quandoque obediunt; in universum vero ubi vel ex hydatidibus vel cum hydatitibus hydrops adest (modo multae sint aut magnae) frustra abdomen perforatur. Non praeterquam quod, quae jam dissiluerunt humorem effundere pergere possunt; aperta una vesica, reliquas non evacuat, quanquam cohaereant racemorum uvae in molam; non modo si aliae ab aliis disjunctae sint.

Alii vermes.

De aliis entozois lumbrici modo atque distoma hepaticum, quod in vesica fellea et ductibus bilariis reperitur et per ductum choledochum nonnunquam in duodenum transit, in hepate occurrunt.

In cadavere militis tam in ductu cystico quam hepatico invenit lumbricum Nebelius (Nova acta physic. med. tom, V. observ. CXII p. 392) et simul plurimos in intestinis; unde non sine ratione suspicatur, lumbrico sex duodeno per ductum choledochum in ductum cysticum et hepaticum irrepsisse.

Forte et aliae viae sunt, per quas in hepar venire possunt vermes. Ruyschius (observ. anat. VI. p. 16) enim mesenterium equinum examinans invenit partem arteriae mesentericae valde dilatatam, quam ubi dissecuit, innumeros vermiculos vidit tenuissimam aciculam referentes. Anne tales vermiculi dum in prima sua origine adhuc longe minorem molem habent, ex arteriis mesentericis in venas et hinc in hepar venire possint?

CURRICULUM VITAE.

Ego, Dettmarus Ditericus Guilelmus Eversmann, undecimo die mensis Majii anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi Hageni, oppido in Comitatu Marcano natus, patre usus sum optimo, illic quondam belli consiliario et matre carissima Mariana Löbbecke, cujus mors praematura jamdudum mihi lugenda est.

A tenerrima inde aetate primas literarum lineas a domesticis accepi magistris, tumque parentes scholae publicae me commiserunt; qua postquam sufficienter usus fueram, Altenam me contuli in gymnasium ibi florentem, ubi per aliquot annos illas praecipue literas colui, quorum studium adolescentium in universitatem literariam antecedat, necesse est; hoc gymnasio relicto, illud deinde frequentavi, quod in urbe patria sub auspiciis celeb. Professoris Stork florebat. Literis necessariis, tam linguis antiquis quam recentioribus satis tractatis, ad graviora academiarum studia a celeb. praeceptoribus maturus judicatus sum.

Bello autem contra Franco-Gallos patriae jam imminente, non potui, quin juvenibus militaribus me jungerem, paulo post tamen propter corporis teneritatem remanere coactus sum, quocirca domum reversus et die XXIX Mensis Octobris anni MDCCCXIV civibus universitatis Marburgensis a Rectore magnifico Arnoldio adscriptus sum. Magistri mihi ibi fuere: in Logice celeb. Kreuzer, in mineralogia ill. Ullmann, in historia naturali ill. Merrem, in physiologia cel. Bnsch; vix autem per primum sementre studia feliciter peregeram, cum bello denuo exorto revocarer. Vix autem conciliata pace et sanato vulnere, quo hoc in bello adflictus eram anno MDCCCXVI Berolinum pe-

tivi et Rectore magnifico Schleiermacher numero civium hujus almae universitatis legitime adscriptus sum maximo cum ardore dehinc frequentavi praelectiones cel. Link de botanice, cel. Lichtenstein de Zoologia, cel. Turte de physice, nec non chymia et pharmacia, ill. Knape de osteologia ill. Rudolphi de anatomia tum universali, tum organorum sensuum, tum pathologica, nec non horum utroque duce in secandis cadaveribus exercitus sum. Praeterea potestas mihi facta erat utendi Magistris in physiologia cel. Horkel in psychologia illustr. Schleiermacher, in doctrina de electricitate, galvanismo et magnetismo, nec non de luce et colore cel, Ermann, in institutionibus medicis sicut etiam in therapia perillustr. C. W. Hufeland, in chirurgia generali et speciali atque akiurgia, nec non in doctrina de morbis ossium dynamicis illustr. Graefe, in doctrina de inflammationibus et semiotice illustr. Berends; De pathologia speciali et de morbis venereis ill. Horn, de materia medica cel. Osann, de angiologia et neurologia cel. Rosenthal, de arte obstetricia exper. Friedlaender, de morbis mulierum cel. Richter, de akologia cel. Bernstein, de arte fascias applicandi, de luxationibus et fracturis cel. Kluge disserentes audivi; nec minore benevolentia quam illis praelectionibus, etiam institutis clinicis me receperunt viri illustr. Horn, Ch. Hufeland, Berends, Graefe nec non celeb. Rust, clar. Neumann et Friedlaender.

THESES DEFENDENDAE.

I. Nullum certum mortis signum, nisi putredo.

II. Dentitionem morbum esse nego.

III. Inter animalia et plantas nullum discrimen interjacet.